



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -
Cum Indicibus

Strauch, Johann

Jenae, 1674

Cap. XVIII. Ad capit. 1. x. de Transact.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10241

ad Ecclesias confugiunt. quo pacto ex conventionem exire debeant & actus sui rationem reddere, & nullam vim pati, quod sacramento praestito eis promittendum, & defensor Ecclesiae ejus curet, ut ea, quae illis promissa fuerint serventur.

Cap. IV. cui dirigitur.

Capitulum IV. dirigitur ab Alexandro III. Exoniensi & Wigorniensis Episcopis. Exonia, *Excester* urbs Episcopalis Angliae sub Archiepiscopo Cantuariensi. Vide Johannem Malmesburiensem lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum. Sub eodem Metropolitano est & Wigorniensis Episcopus, Wigornia, *Worchester* inter Varvicum ad ortum & Herefordiam ad occidentem 30. fere millia passuum ad Sabrinam fluvium. Celebris est infelici

Decretalis integra.

pugnae Scotorum adversus Anglos, anno 1652. Integra decretalis sic habet: *Cum pridem Simon Clericus procurator Prioris & Monachorum de Acra & Petrus clericus pro causa, qua inter eos monachos & praedictum P. ac fratrem ejus, pro cujus parte vicem se dicebat gerere super Ecclesia de S. (Sintonia) & capella de L. (Lintonia) vertebatur, ad nostram praesentiam pariter accessissent, ita interim, inter se, non tamen nobis mediantibus, convenerunt, quod praedictus Procurator Prioris & Monachorum eidem P. pro expensis, quas fecerat, tres marcas argenti persolveret, & idem P. liti cederet & a Monachorum infestatione penitus cessaret. Cumque compositionem ipsam ad nostram pertulissent audientiam, eamque confirmari auctoritate apost. supplicarent, nos eam non duximus admittendam, pro ea, quod videbatur pravam speciem illicitae pactionis continere. Monuimus autem praedictum P. ut ipse tam pro se quam fratre suo monachos in pace dimitteret & eidem liti omnino renunciatet. Et caetera.*

CAP. XVIII.

Ad capit. i. x. de Transact.

S U M M A R I A.

- | | |
|---------------------------------------|----------------------------|
| i. Capitulum I. non est Gregorii III. | 3. Casus capituli. |
| 2. Epistola a paribus. | 4. Capit. IV. |
| | 5. Staffordia urbs Anglia. |

6. Cap.

6. Capit. V. inscriptio suppletur. 8. Capitulum exhibetur integra
7. Cap. VI. suppletur inscriptio. grum.

Perperam tribuitur capitulum primum Gregorio III. Exstat *Capitulum*
enim libro 7. Epist. 27. registri Gregorii magni. Inscriptio *I. non est*
ibi est ad Antonium, Subdiaconum & Dominicum Abba- *Gregorii III*
tem atque Presbyterum à paribus. Quid est, à paribus? *Epistola à*
Nempe duo exempla unius epistolæ ad duos vel plures missa. Ita *paribus.*
enim sub finem ait Gregorius: *Pro munimine superscripti Mona-*
sterii memorato Dominico Abbati atq; Presbytero simile præceptum
dedimus.

Casus est talis: Lis erat inter Præpositos monasterii Sancto- *Casus capi-*
rum Maximi & Agathæ cum administratoribus Romæ constitu- *tuli.*
tis Xenodochii, quod Valerii dicebatur, de possessionibus qui-
busdam in territorio Panormitano sitis, quæ tandem inter partes
composita fuit per Antonium, Subdiaconum, Præpositum mona-
sterii S. Valerii, & Dominicum Abbatem atque Presbyterum di-
cti monasterii Maximi & Agathæ. Confirmat auctoritate suâ
Gregorius transactionem, irrita pronuncians omnia instrumen-
ta, & quidquid partibus ansam præbere possit ad litem sopitam
resuscitandam.

In capitulo IV. scribitur Abbati de Stra. & Priori S. Eusebii, *Capit. IV.*
si Raymundo credimus. Puto legendum, de *Staffordia*, ut post
concilium Lateranense. 28. c. 6. legitur. Est Staffordia urbs An- *Staffordia.*
glia in Comitatu cognomine ad amnem Savum, media inter
Darbiam ad ortum, & Salopiam ad occasum. *concil. p. 28. c. 3.* De
Esebi vel Esebet, nihil succurrit, nisi quod similis inscriptio in se-
cundâ collectione capite ejusdem tertio, eodem titulo habeatur:
Abbati de Stanfort & Priori de Esibili.

Capituli V. inscriptio ita concipitur in compilatione primâ. *Cap. V. in-*
Idem Carnotensi Episcopo. Pars capituli: Nos in eminenti. Sic scriptio
etiam legitur in concilio *parte. 28. c. 10.* Intelligitur capitulum, *suppletur.*
quod habetur in primâ compilatione sub titulo de appellatione.
c. 40. Et post concilium Lateranense. *p. 49. c. 12. & 13.* ubi sola
particula, *Nos,* omittitur. Est alia Epistola Hadriani Papæ *c. 10.*

parte 13. cujus initium est: Nobis in eminenti speculâ disponente domino constitutis. Item c. 15. de decimis & c. 9. de censibus in primâ collectione. Ant. August. notis ad primam collectionem.

Cap. VI. suppletur in scriptio. Capitulum exhibetur integrum.

Capitulum sextum in primâ collectione ita inscribitur: Idem venerabilibus fratribus R. Eboracensi Archiepiscopo Apostolicæ sedis Legato & R. Wigornienfi Episcopo. Capitulum ita orditur: Ex literis vestre Fraternitatis accepimus, quod cum olim inter R. & A. super Ecclesiâ de Ministria, (Gregoriana, de Vult. forsan, de Wiltoniâ, pago proximo Sarisberiam urbem, ubi cœnobium Monachorum ordinis Benedictini, alii de Ministro, de Ministri) & Capellâ de Torbec (in Barcinonensi, Torstolhec, alibi Torstollis) ad eandem Ecclesiam pertinente coram Te, frater Episcopo, q. i. f. d. a. G. q. t. e. A. p. in c. & t. i. f. t. jam pridem f. f. post transactionem idem veniens ad præsentiam nostram & s. m. c. c. n. e. t. i. c. ad Dumellinum (Duellinum, Divellinum, cujus meminit Hovedenus annal. parte post. p. m. 561. n. 21. Vellinum, Legc, Dunelmium vel Dunelmensem.) Episcopum & Decanum Eboracensem, si benè meminimus super eandem Ecclesiam & capellam tacitâ veritate de transactione ipse G. l. n. i. C. a. i. G. & Responsales prædicti R. in nostrâ deinde præsentia fuissent constituti, nos ex literis vestris veritatem super his cognoscantes, & attendentes etiam, quomodo præfatus G. non inficiabatur s. t. i. e. n. f. t. c. l. i. obtinuit e. f. præscripta E. & capellâ auctoritate Apostolicâ silentium imponimus, & memoratum R. ab ejus impetitione auximus absolvendum.

CAP. XIX.

Ad cap. VIII. & XI. de Transact.

S U M M A R I A.

- | | |
|----------------------------------|--|
| 1. <i>Varia lectio.</i> | 4. <i>Hypothesis Capituli.</i> |
| 2. <i>Capit. ult. emendatur.</i> | 5. <i>Latinorum in Oriente brevis dominatus.</i> |
| 3. <i>Johannes Columna.</i> | |

Varia lectio.

Alexander III. Abbati de Strapho, & Priori de Phœbi. Ita Raymundus. MSCrus unus Jenensis: *De Stanfor & Prio-*